

1629. Tunc omnes surgunt, et iuramentum praestant sequenti modo: Minister Generalis sedens recipit iuramentum P. Procuratoris et Definitorum Generalium; postea Procurator similiter sedens recipit iuramentum Ministri Generalis; ac deinde Minister Generalis et Definitores recipient iuramenta caeterorum Capitularium. Iurantes manum dexteram ponunt supra pectus, sinistra librum seu tabellam iuramenti tenent.

IURAMENTUM.

Ego Fr. N. de N. iuro et promitto Deo omnipotenti, B. Mariae Virgini, Seraphico Patri Nostro Francisco, et omnibus Sanctis, me in hac electione Ministri Generalis et Definitorum Generalium, iis daturum meum votum, quos in conscientia mea meliores et aptiores iudicavero. Ita me Deus adiuvet.

1630. Facto iuramento omnes surgunt, et Minister Generalis cum Definitoribus proponit tres Disquisidores ex diversis Provinciis et linguis, quos foras exire iubet; deinde interrogat Vocales, an sit contra eos aliqua exceptio: sin autem ulla fiat, revocentur et genuflexi audiant admonitionem eiusdem Ministri Generalis de habenda in notandis votis attentione, fidelitate et secreti observantia, ad quam tum lege naturali, tum expresso s. obedientiae praecepto pro semper obligantur.

1631. Statim post hanc admonitionem, Minister Generalis instruit Disquisidores, si ei expedire videtur, quomodo schedulas colligere, numerare, aperire, nomina describere, computare, et denique promulgare debeat, iuxta Constitutiones Ordinis et antiquum Religionis usum, ita ut ex. gr. nomina eorum, qui minus

quam tria vota acceperunt, non promulgantur, sed dicitur tantum: *Patres unius vocis, Patres duarum vocum* etc.

1632. Etiam ipsi Patres Vocales instruendi sunt, quomodo schedulas scribere, complicare et aliquod signum vel verbum super eas inscribere debeant; nam semper aliqui aderunt, qui prima vice in Capitulo sedent, et ideo instructione indigent.

1633. Schedulae sint omnes eiusdem chartae et formae, figuram habeant rectangularem oblongam. In parte superiori, quae plicatur quin tamen obsignetur, scribitur nomen eligendi; in parte vero inferiori, quae bis pliatur et hostia aut cera obsignatur, ut Scrutinatoribus occultum maneat, scribitur nomen eligentis. Totum iterum involvit, et schedula externo aliquo signo arbitrario, v. gr. Cruce, stella, nomine Iesu vel Mariae, signetur, ut dubiis circa votum datum exortis, is cuius schedula est, illam cognoscere valeat.

1634. Finita instructione ac sedentibus omnibus in locis suis, Procurator in medio refectorio genuflexus, dicit culpam de defectibus in officio suo commissis, cui Minister Generalis levem poenitentiam imponit, gratias agendo pro suis curis et laboribus pro bono Ordinis exantlatis. Postea Procurator ad suum locum accedit.

1635. Scrutinatores nunc singulis Vocalibus unam tantum schedam distribuunt (quod etiam in subsequentibus scrutiniis est servandum), in qua sex nomina pro Definitoribus scribantur, e quibus soli tres e Definitorio praecedenti esse possunt, quod ne errores et confusiones eveniant, Minister Generalis antea clara voce advertat. Similiter dicat, ne vota dent illis, et quidem sub

poena nullitatis voti, qui voci passivae renuntiarunt, et quorum renuntiatio a Praeside acceptata fuit.

1636. Cum omnes scriptio[n]em suam finierunt, colliguntur a duobus iunioribus Scrutinatoribus schedae, incipiendo a Ministro Generali et descendendo ex utraque parte mensarum; quo facto ad loca sua redeunt, et schedulas in unam solam urnam mittunt. Deinde ipsis stantibus, facie versa ad Vocales, primus seu maior Scrutinator qui in medio stat, schedulas voce clara numerat, extrahens singulas ex urna et ponens in altera omnino vacua. Quod si numerus schedarum numero Vocalium non coaequet, novae schedae scribendae sunt, combustis prius primis, quia invalidae.

1637. Primus Scrutinator schedulas aperit, nomina inscriptorum exakte notat, apertas secundo tradit, qui similiter omnia adnotat; tertius, qui aliis duobus invigilat, ne in adnotatione errant, schedas notatas acu et filo affigit, ne bis numerentur et notentur. Deprehenso in aliqua scheda errore, primus Scrutinator inspecto prius schedulae signo exteriori surgit et exclamat: « *Qui habet signum N. veniat ad nos* »; quo audito, ille qui sub hoc signo votum suum dedit, surgit, ad Scrutinatores accedit et errorem corrigit aut schedulam interpretatur.

1638. In dubio aliquo Scrutinatores consulere possunt Praesidem Capituli, qui ius habet inspiciendi tabulam scrutiniorum, sed etiam obligationem silendi, sicut et Scrutinatores.

1639. Notatis ac probatis omnibus votis, primus Scrutinator eventum electionis pronuntiet dicendo: *Nullus electus est, vel unus, duo, tres etc. electi sunt.* Deinde totam legit intestationem tabellae scrutiniorum, ipso et

omnibus Vocalibus stantibus. Cum ad vota data per venerit, legere incipit ab illis, qui unum vel duo vota habuerunt, tacitis eorum nominibus; deinde ascendendo ad eos, qui tres, quatuor etc. voces habuerunt, usque ad illum, qui plura habuit. Illi, qui sufficientem numerum votorum habent, Electi declarantur. Scrutinia repetuntur usque dum sex Definitores electi fuerint. Hinc solito signo tegulae convocata communitate, primus Disquisitor alta voce nomina Electorum promulgat.

1640. Lectio seu pronuntiatio votorum fit sequenti modo: *Patres, qui habuerunt unum votum sunt: N.* (indicetur numerus); *Patres qui habuerunt duo vota sunt: N.* (indicetur numerus); *P. N. a N. habuit tria, sex etc.; P. N. a N. habuit octoginta vota: electus est.*

1641. Exitus uniuscuiusque scrutinii etiam tunc promulgandus est, quando effectu caret. Si quis cum inclusiva solummodo electus fuerit, quod valet etiam in electionibus provincialibus et localibus, primus Scrutinator quaerit signum schedae Electi a primo Scrutinatore, scheda deinde aperitur, et electus declaratur, cum aparuerit, quod sibimetipsi votum non dederit, quod adnotandum est in tabula scrutiniorum.

1642. Electis sex Definitoribus, neo-Electi locum Definitorum adeunt; deinde Minister Generalis surgit, Sigillum Ordinis primo Definitori, respective Protectori Ordinis, vel ei qui nomine Papae est Praeses Capituli, tradit, in medio refectorii genuflectit et culpam dicit: cui primus Definitor, respective Praeses respondet ut num. 1634 dictum est. Postea refectorio egreditur, comitante sexto Definitore usque ad portam, Chorum ingreditur, ut pro felici exitu Capituli oret.

1643. Proceditur tunc ad electionem novi Ministri Generalis, distributis primum a Scrutinatoribus schedis; qua facta in primo, secundo etc. scrutinio, ad tegulam refectorii signum datur ad annuntiandum talem faustum eventum. Congregata etiam familia religiosa in refectorio, primus Scrutinator nomen Electi pronuntiat; tunc omnibus stantibus, neo-Electo vero in medio refectorii genuflexo, alta et omnibus intelligibili voce pronuntiat: *In nomine Domini* etc. (vide n. 1678), legens more solito etiam nomina eorum, qui vota aliqua habuerunt. Facta neo-Electi proclamatione, religiosa familia redit.

1644. Sedentibus iterum omnibus, proceditur ad electionem P. Procuratoris, qui, ut ipse Minister Generalis, potest esse de gremio Definitionis vel etiam assumi extra gremium. Si tum Minister Generalis, tum et ipse Procurator assumpti fuerint e gremio, procedendum est ad electionem septimi Definitoris, ut Definitorium sit completum. Si vero electus fuerit Minister Generalis extra gremium Definitionis, tunc electio septimi Definitoris omittitur, quia iam completum est Definitorium, et Procurator, de corpore Capituli electus, exclusus manet e gremio Definitorii, ut Constitutiones nostrae ordinant.

1645. Electionibus sic persolutis, schedae coram omnibus comburuntur, Litterae scrutiniorum, quae in archivio Ordinis asservandae sunt, a Scrutinatoribus subscribuntur, familia religiosa in refectorio congregatur, et instituitur processio. Novus Minister superpeliceo et Stola coloris diei indutus, incipit Hymnum *Te Deum laudamus*; quem alternatim recitantes Fratres

processionaliter ad Ecclesiam pergunt. Praecedit Crucifer inter duos Acolythos cum luminibus, cottis indutus, sequuntur bini Fratres Laici, Clerici, Patres familiae, Capitulares secundum dignitatis gradus, ac demum Definitores neo-electi ac Minister Generalis habens a sinistris suum Antecessorem, qui in hac functione tantum habet locum primi Definitoris.

1646. Ad portam Ecclesiae primus Definitor aspergillum iam ad hoc a Sacrista paratum P. Generali porrigit, qui seipsum signat, et ab eodem loco Fratres capite alquantum inclinato hinc inde stantes a dextris et a sinistris aspergit, et redditio aspergillo ad Altare maius pergit. Definitores, Capitulares et reliqui Fratres, si locus adsit, eum sequuntur in Presbyterium.

1647. Minister Generalis inter Definitores in infimo Altaris gradu genuflectit. Deinde duo iuniores Definitores dicunt sequentes Versiculos: primus vero Definitor stans Orationes, quae hos sequuntur:

- ¶. *Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu:*
- R. *Laudemus, et superexalteamus eum in saecula.*
- ¶. *Confirmata hoc, Deus, quod operatus es in nobis:*
- R. *A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*
- ¶. *Salvum fac servum tuum N.:*
- R. *Deus meus, sperantem in te.*
- ¶. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto:*
- R. *Et de Sion tuere eum.*
- ¶. *Domine, exaudi orationem meam:*
- R. *Et clamor meus ad te veniat.*
- ¶. *Dominus vobiscum:*
- R. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: piissimae Maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui potentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad praemia futura disponas.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Ministro nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Concede nos famulos tuos, quae sumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitatem gaudere: et gloria Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati P. N. Francisci meritis foetu novae proli amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere.

Actiones nostras, quae sumus Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

R). Amen.

1648. Dictis Orationibus, Praeses Capituli resp. primus Definitor neo-Electum genuflexum paucis verbis alloquitur stans in suppedaneo ad cornu Evangelii, caeteris item stantibus. Finito sermone, novus Generalis accepto Sigillo a Praeside resp. primo Definitore ascendit Altare et sedet in cornu Evangelii, et omnes Capitulares, incipiendo a Definitore primo, aliis Definito-

ribus, ex-Generali, ex-Definitoribus Generalibus, etc. etc. cum debitiss reverentiis accedunt et osculantur Sigillum et manum Generalis: quo facto, quivis praeter sex Definitores in Chorum interiore se retrahit.

1649. Hisce peractis, Ministro Generali in scabello genuflexo manente, Sacerdos Pluviali indutus cum Ministris e Sacrario procedit, more solito cum Sanctissimo benedictionem impertit ac SS. Sacramentum reponit. Postea in locum Congregationis definitorialis P. Generalis se retrahit, ubi gratulationes et iuramentum Definitorum accipit de secreto servando.

1650. Si electiones terminentur noctu, SS. Sacramentum convenientius hac nocte manet expositum, et processio ac benedictio fiunt mane hora competenti.

1651. Absoluti omnibus actibus capitularibus, statuta die convocantur iterum Vocales ad refectorium, publicantur Ordinationes et Decisiones, si forsan factae fuerint, ac dein Capitulum sermone, qui a novo Ministro pronuntiatur, dimittitur¹.

§ II. — *De ritu servando in Capitulo provinciali.*

1652. Obtenta a Ministro Generali licentia, Provincialis, et ipso mortuo, Vicarius Provinciae seu primus Definitor, statuto tempore per Litteras citatorias Capitulum convocat, diem et locum celebrationis accurate indicans, electionem Discretorum, ubi fiunt, ordinans, aliaque disponens quae Capitulum respiciunt.

¹ Olim totum Capitulum processionaliter novem Basilicas Urbis visitabat, et simili modo a Romano Pontifice admittebatur ad osculum pedis: quae hisce temporibus in hac forma melius omittuntur.